...phanus
...opus ...ensis

Mazurkowii Valent. Joan. Imago heroicarum virtutum eximiorumque in patriam meritorum.

IMAGO HEROICARVM VIRTUTUM

Eximiorumq; in Patriam meritorum.

In

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino,

D. STEPHANO A MAGNO CHRZĄSTOWO WIERZBOWSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO POSNANIENSI

Veris collucens Coloribus,

Et dùm idem ILLVSTRISSIMVS ANTISTES, POSNANIAM Maioris Poloniæ, & Episcopatus POSNANIENSIS Sedem primariam, inter votiuas gratulantium acclamationes, & Solennes bene precantium applausus ingrederetur; in signum debitæ obseruantiæ Academicæ,

Francisco Anatidae Artium et Phiae Baccalaureo gratitudinis ergò Author dedicat. 18 Nouembris A.D. 1665.

A

M. VALENTINO IOANNE MAZVRKOWIC, Philosophiæ Doctore, & in Alma Vniuersitate Crac; Professore, Panegyrica gratulatione ADVMBRATA.

ANNO Salutis M. DC. LXIV.

CRACOVIÆ

Apud Viduam, & Hæredes Francisci Cezarij, S. R. M. Typ.

IN GENTILITIVM STEMMA.



E ſoleæ gremio cur ſe Crux librat in altum
Nuper Pieridum quærere viſa cohors.
Pars ait, eſt mentis certiſſima Præſulis index
Quæ ſemper valido ſurgit ad alta gradu.
Aſt aliæ Soleam vim Præſulis eſſe loquuntur
Suſtinet immiſſas quæ generoſa Cruces.
Audiit hæc biſido reſidens in vertice Phœbus
Sicque ſuo litem, leniјt ore libens:
Præſulei hoc ſigno ſtadium monſtratur honoris,
Celſior it terris; nam ſibi in aſtra via eſt.

ANDREAS de Stradomia STRADOMSKI,
Eloquen. & Philoſ. Studioſus.

PANEGYRICVS

SI ad immensæ lætitiæ magnitudinem, quâ vniuersorum pectora desideratissimus Tuus impleuit aduentus, mea exigenda esset Oratio, ILLVSTRISSIME PRÆSVL: nihil mihi hîc loci relictum putarem, nisi vt exquisitissimæ Te salutantium immixtus pompæ, votis potiùs & faustis ominibus Tuum aduentum prosequerer: quàm meditatâ aliquâ Oratione, vbertatem exundantis gaudij, publicæque hilaritatis iucundissimam imaginem explicarem. Nam præterquam quod meæ mihi tenuitatis conscius sum, & quis quæso esset tam plenus ingenio, & ingenti eloquij flumine inundatus; tàm admirabili verborum & sententiarum facultate, crebrisque Orationis luminibus illustrato, & quasi exaggerato altiùs sermone instructus; qui non hîc sub onere publici gaudii laberetur, suasque vires enarrandæ tantæ lætitiæ minus pares fateretur. Intuere quæso læto aspectu cunctorum frontes nouæ amænitatis luce illustres, intuere in cuiusque aspectu hilaritatis publicæ decus; obuersabitur certè animo Tuo species hæc iucundissima, quâ cuncti ad Te visendum conuolârunt, felicissimamque hanc lucem consensu quodam publicæ lætitiæ consecrârunt, quâ Tu multis expetitus votis & desideriis PRÆSVL dignissimus ad illos venis. Occurrit ecce Tibi veneranda Cleri frequentia, suumque Te Ducem, suarũ legum vigilantissimum Custodem futurum, officiosissimo cultu veneratur. Occurrit florentissima Nobilitas, Tibique grauissimo Antistiti & Senatori Suo circumfusa, faustissimis acclamationibus, prosperrima quæque vouet, ominatur. Occurrit refertissima Ciuitas, & in contemplando augusto Tuo defixa vultu, quiddam in eo verendum simul & amabile notat, & agnoscit. Occurrit lectissima Sudiosa Iuuentus, & suum Sibi Te Patronum aduentare videns, auidissimis Tuæ præsentiæ imminet oculis: quibusque nomen Tuum laudibus sit implendum, quo honore carminum, quibus delicijs copiosæ Orationis excipiendum, sollicita meditatur. Occurrit densa cuiusque generis hominum multitudo, hancque Tuam splendidam ad primarium Vrbis Templũ deductionem considerans, tacita cogitat; quænam illa splendoris facies è Cœlo in terras descendat, quæ animum maiori per interualla recurrente voluptate, in sublimes erigat spes attollatque. Ipsa qua latè patet vniuersa Diœcesis suis excita & emota sedibus, ruit in Tuos amplexus: & sicut olim integerrimo Antistite per tristium fatorum acerbitatem spoliata, in diuturno luctu & squallore iacuit mæstissimo; ita nunc reuirescit ad Tuum aspectum, rursusque sibi nouam felicitatem, noua fata pollicetur. Ipsæ Templorum Sanctissimæ Aræ, ipsi agri fertiles, campique patentes, altiùs culmina sua efferunt, nescioque quid sibi augustum accessurum spondent: quia Te ijs

aliquan

aliquando tandem PRÆSVLEM infers exoptatum. Non se in omnibus capit ingentis lætitiæ magnitudo, pectorumque angustias dedignata, emanat in superficiem corporis, gaudet ostentatione sui, periturum sibi gaudij fructum reputans, si in abdito tantùm tacitæ voluptatis sensu frueretur. In tanta itaque vniuersorũ hilaritate, quid est quod à me par adferri posśit, cùm magnitudo rei alienatam quodam modo extra se mentem rapiat, cũm splendor insolitus aciem perstringat ingenij, cùm maiestas & amplitudo inusitata de euentu cogat desperare. An hanc ipsam audebo pompam describere, quam non capio? meditatum aliquid & oblectandis auribus aptisśimum comminiscar, quod non valeo? sublimis honoris accesśionem gratulabor, quâ percellor? ad secunda vota & apprecationes me componam, quas ne dinumerare quidem possum. Equidem vt ij, qui somnio turbulento circumfusi, & varijs imaginibus turbati, amisso sanguine vix vocem colligunt: ita perculsus cogitatione Tuæ amplitudinis, velut procellâ sideris tactus, quid dicam, quomodo dicam, non inuenio. Sed tamen non vsque eò omnia obstructa & occlusa sunt, vt animo explicando non sit locus. Sæpè etiam res viles sumunt pretium ab animo consecrantis. Nemini fraudi fuit placare DEVM, quo tandem modo posset: immò meliùs aliquando & religiosiùs DEVM veneramur purâ & incorruptâ mente, quàm meditato carmine & donarijs auro fulgentibus. Quâ ratione fretus, imaginem Tibi Tuarum virtutum (vt olim Romanis in triumphis Imperatoriæ fortitudinis depictæ ferebãtur effigies) in hoc auspicatisśimo ingressu exhibere decreui, non temerariâ illã manu & coloribus mox perituris adumbratam, quam trãseuntium duntaxat intueantur oculi; sed accuratâ descriptione cum quadam spe perpetuitatis expressam, quam contemplantium animi diutisśimè speculentur. Grande quidem & periculosum videbor moliri negotium. Si enim Alexander solus fortunâ suâ maior vniuerso Orbi, cuius Imperiò auctus erat, edixit, nequis effigiem suam cælo excuderet, vel penicillo asśimilaret: sed vnicus Apelles eam coloribus delinearet, vnicus Lysippus fingeret; & tamen artificum horum manus, quid quæso exhibebant præter simulacra corporum, ad similitudinem expresśa: quanta mihi incumbit cura, qui illum integerrimum Tuum animum, omnium virtutum coloribus mirificè radiantem, illud pectus, feracisśimum sani consilij promptuarium, illud os, dulcisśimi eloquij viuam scaturiginem, illam virtutum omnium suauisśimam harmoniam, Orbi proponere nitor intuendam. Et certè nec ipse diffiteor debiles esse mihi vires, & imbelles lacertorum sinus ad tale onus sufferendum, neq; ignarus sum, omnem audaciam periculosam videri, meam tamen mihi nec malè, nec sine lucro confido successuram. Leniet enim eam religiosum obsequium, quod debitâ veneratione in me accensum, noua quædam & inusitata fiducia consummauit. Cùm enim de meo egentisśimus sim, de virtutum PRÆSVLIS mei ærario spero me facile ditisśimũ euasurum, vt iam collectis in unam tabellam pulcherrimis eius coloribus abundantisśimè habiturus sim, quod & nunc ad augendum pompæ lætitiam, in publico proferre, & postea in immortalis gloriæ Templo, ad perennem sui nominis conseruationem, dedicare posśim. Ha-

bet

bet enim hoc magna virtus, vt facilè diuturnitatem imbecilliori etiam conciliet Suadæ, & ſcribentiũ pennas alioquin ſolui faciles, nouo robore firmet, quibus eius cultores ab inuidiæ nubibus, ad æternitatis ſudum eleuati, notitiã ſui in ſeram tranſmittant poſteritatem, nec mortalitatis ſuâ ſponte abolentis vniuerſa, manu prædatrice deleantur. Tu mihi tantùm hoc loco ILLVSTRISSIME PRÆSVL inuocandus es, vt patiaris me hoc affectûs obſeruantiæq; Academicæ teſtimonium, non artifici manu, ſed officioſâ ſtyli promptitudine elaboratum, Tibi in publica pompa deferre: tantiſperq; de ſublimi Tua dignitate deſcendas, quoadusque Te fugientibus verborum lineis adumbratum, Tibi ſubiecero: in quibus quanta virtute, quibus artibus ad honoris maximi faſtigium perveneris, Tu ipſe recognoſcas, præcedentiũ annorum ſollicita obſeruatrix poſteritas videat, ſuſpiciat, & admiretur.

Ac mihi quidem è Cæleſti virtutum Tuarum pulchritudine abſolutiſſimam imaginem effingere cupienti, occurrit primus eximius color illibati candoris præcipuo nitore conſpicuus, Nobilitas ILLVSTRISSIMI TVI GENERIS, quâ DIVINA benignitas ortum Tuum bèâuit, è qua velut è Cælo Te beneficum ſidus ad cõmunem hominum demiſit voluptatem. Eludant imperiti vt volunt Natalium ſplendorem, qui quò ſuas tenebras conſolentur, ita de virtute philoſophantur, vt ſplendorem generis, glorioſamq; nominis antiquitatem, è bonis humanis prorſus extermінent: mihi ſanè vt Nobilitas eximium quid in rebus humanis videtur: ita ille feliciſsimus iudicatur, quiſquis cum ſuorum Natalium obſcuritate non eſt colluctatus, quiſquis ſtatim amplâ Maiorum ſuorum luce circumfuſus in vitam venit, & in cunis adhuc infantilibus amplas omnium ſpes, de futura ſua egregia indole concitauit. Non eò hoc dico, quòd aut excordes Arcadas, aut infantes Cecropidas, aut truncos Hermas, aut Cethegos Lentulosq; Paternæ gloriæ voragines, dignatione aliquâ proſequendos exiſtimem: quiâ Maiores eorum excellentibus virtutibus floruêre. Scio multùm intereſse, bonus aliquis ſit; an tantùm ſui Maiores fuerint: generoſo conatu ſequatur ſuorum indolem; an tantùm iactet: atrium ſuum fumoſis exornet imaginibus; an etiam animum præclariſsimis eorum imbuat actionibus. Non inquam hoc eò dico, quòd in ſola generis Nobilitate, & relicto à maioribus ſplendore, omnia laudis ornamenta condi & collocari debere exiſtimem: ſed quia Nobilitas duraturæ felicitatis ſolida eſt baſis, & manſuræ virtutis firmiſsimum fundamentum. Ineſt enim Nobilitati pulcherrimus quidam ſplendor de longinquo emicans, & virtutem ſedi aſſerens ſuæ. Vt aurum alioqui pulcherrimum non ſplendeſcit, niſi repercuſſu clariſsimi luminis illuſtretur: ita virtus etiam maxima non honoratur, niſi generis & fortunæ velut radijs circumfuſa, in humanos oculos illabatur. Quos hac claritudine natura deſtituit, coguntur totâ ferè vitâ cum genio luctari, vt vix malignitatem ſortis, niſi ingenti rerum geſtarum gloriâ opprimant. At Nobiles in ampliſsimum honoris Patrimonium ſtatim intrant: non dum agunt, non dum loquuntur, non dum ſentiunt, & iam ob præſtantiſsimas Maiorum ſuorum virtutes ab omnibus coluntur, honorantur. Quomodo enim illi id egerunt, vt non in vnam ætatem prodeſſent, ſed beneficia meri-

taq; ſua venturis etiam ſæculis reliquerunt: ita grata Reſpublica non id tantùm agit, vt beneficia ſua ipſis referat: verùm etiam in ſubſequentium Poſterorum longiſsimâ ſerie libentiſsimè veneratur. Primum igitur ILLVSTRISSIME PRÆSVL in Tuis laudibus eſt, nobiliſsimè natum eſſe. Non ibo hîc ad primas origines Gentis Tuæ, neque vetuſtiſsimum fontem familiæ Tuæ, inveſtigabo. Quî enim poſſum tàm aperto inuehi mari, tàm latè patenti dicendi campo. Narrandæ mihi eſſent virtutes, non veſtræ tantum, ſed GRVDZINSCIORVM, DZIALINIORVM, PACYORVM WEIHERORVM, WOLFIORVM, GEMBICIORVM, DONHOFFIORVM, aliorumq; cum quibus continuæ cognationis arctiſsimo vinculo eſtis colligati. Numerandi eſſent fortiſſimi illi Heroës, percenſendi Magni Præfecturarum Præſides, Senatores Ampliſsimi, Antiſtites celeberrimi, Duces bellicoſiſsimi, cæteriq; publicis honoribus inſignes viri, qui tanto numero tamq; prolixo ordine ex veſtra Familia prodierunt, vt ſi vel hi tantummodò ſpectentur, non ſplendore tantùm; ſed etiam numero, veſtra Familia nulli videatur conceſſura. Sed hæc incorrupta virtutum teſtis Poſteritas admiratur, & dignis iam præconijs, quæ nullâ ætatis iniuria obſcurare, nulla fortunæ malignitas carpere poſsit, conſecrauit: mihi in Tuis laudibus deſudaturo, integræ vires ad eas reſeruandæ. Itaq; quamuis fortaſsis Tibi gratiſsimũ foret, illos in auſpicatiſsimi huius honoris aditu, & comites habere, & gratulatores: mihi tamen conſultiſsimum eſt æterno illos ſilentio venerari: niſi quod Maximi tamen Parentis Tui, Fratrumq; Tuorum cariſsimorum geſta, in hanc paginam mihi deducenda videntur, ne ab hac hilaritate ii potiſsimùm excludantur, ad quos ea maximè ſpectat. Itaq; vt à NICOLAO Parente Tuo hoc dicẽdi ſumã initiũ, quis fuit in quo maior multarum virtutum amplitudo, & præcellentium meritorum illuſtrior congeries & confluxus notaretur, quàm in illo reperiebatur? Fuitne aliquod in Polonia tempus bellicum, in quo non eius incredibilis in Patriam pietas effulſerit? Fuitne militaris expeditio, quam ille non glorioſè ſuſceperit? Fuitnè aliqua benè de Patria merendi occaſio, quã ille non promptiſsima mente conceperit. Inſurrexerat in SIGISMVNDVM Tertium, REGEM illum, quo imperante ſuos vetuſtati Iulios, Titos, Veſpaſianos, Theodoſios, aliaq; non tàm virorum quàm virtutum nomina minimè inuidebamus, Patruus Carolus Sudermaniæ Princeps, non tantùm crudeli dominandi libidine; verùm etiam iniqua odij malignitate ſtimulatus; quis tum magnanimo Parente Tuo prior ad caſtra accurrit? quis meliùs manu, conſilio, dexteritate, fortunâ pro ſuo REGE ſtetit? quis feliciùs hoſtilis potentiæ conatus repreſsit inimicos. Vidit eum tùm Pruſsia multas clades ſtrageſq; circumferentem, & magnum REGIIS partibus ad victoriam momentum adferentem. Spectauit Liuonia glorioſis vulneribus, non gloriæ tantùm duraturæ; ſed immortalitati etiam nominis ſui præludentem. Mirata eſt Pomerania inter denſos hoſtium globos, fulguris inſtâr coruſcâ armorum luce præmicantem, inferentem ſeſe aduerſis agminibus, ſuiq; oblitum, Patriæ memorem, Martijs factis ad pulcherrimos auſus ad victoriamq; cæteris prælucentem. Quid autem poſtea, cum eidem SIGISMVN-

DO

DO diuturnum cum Moſchis bellum coâluiſset? quis tùm WIERZBOWIANAM non ſtupuit fortitudinem, quis non exhorruit audaciam. Procurrendum erat animosè in hoſtem? procurrebat. deligendus difficillimus pugnandi locus? deligebat. in certamine Equeſtri, in obſidionibus, in excurſionibus, in congreſſu ſingulari, in prælio dimicandum? dimicabat. quaſi aut ille ſolus totum robur exercitûs ſuſtineret, aut eius viribus vniuerſus exercitus niteretur. Magna hæc eſt ILLVSTRISSIMI PARENTIS TVI laus: & neſcio an non cum Fabriciorum, Scipionum, Camillorum nunquam intermoritura gloria conferenda, vnicum illum feraciſsimo virtutum ſæculo, incomparabili virtute valuiſse tantùm, vt communem cæterorum ſortem videretur exceſsiſſe: at neſcio an non illa multò maior, quod rara felicitate quinq; vos fratres velut quinq; lampadas poſt ſe reliquit? qui omnes hauſtum à Parente generoſum ſanguinem, virtutum conditione feciſtis meliorem, & lucem à maioribus deriuatam, nouis decoribus illuſtrâſtis. Quid enim an non hoc ſingulare Diuinæ beneficentiæ argumentũ, ab vno fonte tot fluuios, ab vna radice tot ramos, ab vno ſidere tot radios,, ab vno Parente tot Filios prodijſse, omnes Heroicis laudibus eminentes, omnes non degeneres Paternæ virtutis ſucceſsores. Gloriabatur olim Amilcar duos ſe filios Aſdrubalem & Annibalem genuiſse, quorum prudẽti conſilio & armis, Romanorum Imperium eſset ſuperandum. Gloriabatur Cornelia Romanarum Matronarum nobiliſsima, quòd Tiberium & Caium Gracchos, illuſtribꝰ ingenijs ſpectatiſsimos Iuuenes peperiſset. Metelli etiam fortunam nimia ſuarum rerum æſtimatrix antiquitas Cœlo propè intulit, vexitq; ad ſidera, quod is tres filios Conſulares, vnum etiam Cenſorium ac Triumphalem, ac quartum Prætorium vidiſset. At quantò Maximo Parenti veſtro ad laudem præclariùs eſt, tales vos genuiſſe. Nam ſi diligentiſsimæ præteritorum conſeruatrici Hiſtoriæ credimus, & Aſdrubal cum Annibale magis ſuæ libidini, quàm integritati Patriæ in bello cum Romanis gerendo ſunt velificati, Romanamq; ad extremum fortitudinem in ſuæ perniciẽ Carthaginis irritârunt. Et Tiberius & Caius Gracchi magni potiùs fuerunt, Stoici ſapientis iudicio, quam boni. Et Metelli filiorum vitam, turpis ſuperſtitio infamauit. Vobis verò omnibus diuinitùs ea eſt adiuncta felicitas, vt cùm vos publicis neceſsitatibus, & communi bono propagando impenditis, hoc vnum ſollicitè prouideatis, ne vlla in parte virorum bonorum fortiumq; munus, à Patria in vobis vnquam deſideretur. Quando enim ALBERTVS CASTELLANVS INOVLADISLAVIENSIS, primus ILLVSTRISSIME PRÆSVL Frater Tuus, non omnes amantiſsimi Patriæ Senatoris partes, omnia officia ſufficientiſsimè impleuit. Quid eſt quod ille Vir non Diuino conſilio rexit? non maturâ prudentiâ vidit? non ſolerti induſtriâ coniecit? non feliciſsimâ experientiâ perfecit? quid eſt quòd eius ſummam ſedulitatem vigilantiamq; effugit? Probauit eam eius dexteritatem REX in cenſendis alienis dotibus exactiſsimus VLADISLAVS Quartus vſq; adeò, vt aureo illo tempore, quo Polonia Magnorum Virorum compendium habebatur, eum tamen potiſsmùm delegerit, qui grauiſsimâ legatione à ſe ad Auguſtiſsimum

mum Romanorum Imperatorem FERDINANDVM Secundum fungeretur. Suspexit Patria difficillimis suis temporibus, eiusq; sapientiam, tanquam cælitùs sibi demissum præsidium intuebatur, ad quem in perplexis suis confugeret negotijs. Et profectò experta fuisset eum suæ salutis suæq; incolumitatis asylum certissimum, nisi is in ipso ætatis, virtutis, honorisq; flore, dùm indefesso in Comitijs pro Patria studiò allaborat, ex hac mortali vita ad illam immortalem transijsset. Quid porrò alter VLADISLAVS, BRESTENSIS PALATINVS Vir quantùmcunq; maximis honoribus gestis maior, quam partem ætatis sine amplissimis in Rempublicam meritis transmisit? quam horam non aliqua nobili transegit actione? quod tempus sine publici boni cura consumpsit otiosum? Considerares in eo fortitudinem? dixisses Leonidam Spartanum nulla pro Patria discrimina formidantem. Expenderes prudentiam? Cunctatorem Fabium appellâsses, ancipitem Poloniæ statum multò antè obseruantem, illiq; felicissimam in tempore medicinam adhibentem. Intuereris animi magnitudinem? vocâsses Marcellum animosum, in attollendis Patriæ ruinis, in erigendis lapsis eius rebus, nulla pericula metuentem. Examinares in eo iustitiam? iurâsses ne Aristidem quidem, Solonem, Lycurgum aut alios celeberrimos iustitiæ Antistites, religiosiùs instituta sua conseruâsse. Exquireres pietatem aut religionem? Scipionem Africanum, aut Æneam Troianum affirmâsses, iugi solliciti laboris flammâ, pro Diuini honoris propagatione, pro Patriæ incolumitate, pro cunctorum salute deflagrantem. Testis est eius fortitudinis Berestecensis expeditio, quo in bello cùm formidanda vniuersæ Poloniæ barbarorum Scytharum, rebelliumq; Cosacorum impenderet tempestas, calamitosaq; armorum hostilium trepidatio magis ac magis inualesceret; ille in Comitijs Regni Centuriatis, Palatinatus Lanciciensis electus Ductor, selectissimâ Nobilitatis manu succinctus, indomitam hostium feritatem, armis & vindice ferro còercebat. Testis incorrupti eius iudicij & rigidæ iustitiæ Tribunal Regni Generale, in quo ille seuerissimè ius dicendo, oppressæ innocentiæ patrocinando, neq; obtestantium importunis precibus amicorum, neq; potentium vndiq; se obsidentium fauoribus, neq; muneribus, quæ etiam optimorum mentes plerumq; interuertunt, à suscepto semel boni Iudicis officio abduci se permittendo; præclarum sibi ad gloriam iter communiuit. Testis eius zelosissimæ in Patriam pietatis Varsauiensis conflictus, in quo cum Vir ille mirabili feruore in eam curam incubuisset, vt Patriam ex aduncis Suetici Leonis vnguibus laceratam conuulsamq; quantocyùs erueret, ad cæleste Capitolium, illic æternum pro meritis suis acturus triumphum, commigrauit. Neq; verò reticebitur aut ingratâ sepelietur obliuione, imò vigebit clariùs, & effulgescet nitidiùs, nullis obruenda temporibus maximis in rebus probatissima virtus SIGISMVNDI VEXILLIFERI LANCICENSIS, qui posteaquàm literas prima ætate necessarias, & ex vsu suo attigisset, eam cunctorum in animis de eximia sua indole inseuit opinionem; vt in externis etiam Regionibus, vbi peregrinæ dotes scrupulosissimè, nec citra iniuriam malignitatis excutiuntur, ipsos etiam

am

am Supremos Monarchas, meruerit suæ virtutis habere laudatores. Quantoperè enim illud æstimandum est, quod in AVLA Hispanica, quæ Orbis propè vniuersi fata dispensat, & serpente acutiùs cernit Epidaurio, á potentissimo PHILIPPO Tertio, ad FERDINANDVM Tertium CÆSAREM Legationis ei munus est concreditum, cui nonnisi consummatissimi, multisque in negotijs cogniti Viri admouentur. Neq; minus postea in Patria sua virtus invenit pretium, cùm redeunti is decretus honor, vt is ILLVSTRISSIMO ANDREÆ TRZEBICIO moderno Dignissimo Gracouiensi ANTISTITI, Comes Maximo Legato, & ab intimis secretis, pro Comitijs, Electioni FERDINANDI quarti in REGEM Romanorum indictis, adiungeretur: vt in illo Orbis totius florentissimo consessu intelligi posset, esse in WIERZBOWIANA FAMILIA talem in rebus transigendis peritiam, quæ ad conciliandos omnium populorum animos pertineret. Vtinam verò Vir ille omnibus meritò laudibus decorandus, tardiorem vitæ cursum, quám virtutis habuisset: vtinam indulgentiâ fatorum ad perfectam quandam ætatis maturitatem peruenisset: profectò vix aliquis fuisset siue in toga & pace, siue in bellis, fortitudine, scientiâ, felicitate, rerum omnium exactissimâ cognitione & iudicio, cum eo conferendus. Verùm Diuina vis eius animi, cùm caduci corporis hospitium, tenuesq; angustias ægrè sustineret, in ipso meritorum & virtutum stadio, celeri impetu ad æternitatis arcem euolauit.

Quanquam quid ego eos, quos communis lex mortalitatis in alteriùs vitæ coloniam, eamq; vt gesta eorum sperare iubent, felicissimam deduxit, in aspectabilem Tuæ pompæ apparatum reproduxi? quid tam diu circa eruendos è gloriosissimis suis tumulis, in quibus libentissimè quiêscunt obhæsi? quos breuissimo compendio in Te vno poteram inuenire, cui cum cætera suâ hæreditate, omnia suarum virtutum ornamenta transcripserunt. Debueram scilicet in ijs experiri ingenium, vt exercitatum ad cæteras laudes adferrem: vt limatiorem viuentibus sacrarem facundiam, sacris limanda fuit cineribus, & in mortuorum sepulchris occupanda. Nam in superstitis quidem Fratris Tui incomparabilis Herois HIERONYMI PALATINI SIRADIENSIS laudes quanto conatu assurgendum est! quàm singulares industriæ nerui insumendi! O virum honoribus suis maiorem, in ferrea ætate propè aureum, ad salutem Poloniæ procurandam, indefesso labore contendentem, eiq; cælitùs ad negotia quæq; difficillima, feliciter & ex voto publico conficiēda, Diuino munere impertitum. Quid enim sibi ad summi honoris laudem deest? imò quid non adest? qui magnitudinem modestiâ, modestiam candore, candorem fortitudine, fortitudinem temperantiâ, temperantiam prudentiâ, prudentiam iustitiâ, iustitiam pietate, pietatem religione, alijsq; eximijs virtutibus ita temperauit, vt dubium reliquerit maior nè sit an melior, Sago an togâ laudabilior, domi an foris felicior, in suis an in publicis tractandis negotijs diligentior. Qui erat & quo animo humiles iam curas adolescens superârat, illa sua Iuuentus loquitur, quam Cracouiæ in hoc antiquissimo Regni Polo-

nici Athenæo, sub viris omni scientiarum genere clarissimis, ad prisci propè Catonis exegit normam. Nam cùm sciret nullum ingenium sine doctrina summum esse, nullam ætatem iuuenili meliorem literis, omnia patere subli-mi suo ingenio celerrimè voluit, quæ laboriosus conatus Heroicis mentibus recludit. Accessit cultissimarum Nationum propè omnium peritia, quā sibi diuturnâ peregrinatione collegerat, vt scilicet omnibus florentissimæ doctrinæ subsidijs, absolutissimæq; virtutis ornamentis instructus, ad Rem-publicam accederet, facturus quæ pauci adulti imitarentur. Neq; verò potuit diutiùs pretiosissimus hic vnio in obscuris priuatæ vitæ angulis con-tineri. SERENISSIMVS enim VLADISLAVS quartus, cùm iam tunc adolescentis egregias virtutes solertèr introspexisset, erumpen-tem eius indolem, glorioso sui fauoris stimulo, ad maxima quæuis quasi consultò deligebat. Non ego hîc commemoro quæ negotia incredibili celeritate confecerit, quibus sibi moribus animum Principis deuinxerit, quas difficultates consilio suo mitigârit, omnia enim maiora sunt, quàm vt à me festinante ad Tuas ILLVSTRISSIME PRÆSVL laudes possint memorari: illa tantùm quæ in ore famæ sunt, quæ disseminantur in Orbis terræ memoriam sempiternam, tacito non possum silentio præ-terire. Missus á SERENISSIMO VLADISLAO in Gallias ad desideratissimam sponsam, SERENISSIMAM LVDOVICAM MARIAM GONZAGAM, in Poloniam deducendam: hoc negoti-um bono Reipublicæ, perfecit feliciter, & è fæcundo illo Liliorum horto, fragrantissimum Lilium, talem tantamq; REGINAM in Boreáles plagas transplantauit. Factus VEXILLIFER LANCICIENSIS ad Be-restecium, in gloriam & salutem Reipublicæ, rerum gestarum prosper-rimum euentum collaturus, cum hoste strenuè decertauit, etiam proprio sanguinis dispendio, REGI REiq; publicæ ostendens, malle se vitæ suæ pati dispendium; quàm vt Respublica de sua incolumitate periclitetur. Cùm verò postea insurrexisset illud tempus, quo miseræ Poloniæ in Polo-nia ne peregrinari quidem licuit; quo omnium malorum Ilias in eam velut in communem quandam sentinam confluxit; quis tum suus in Principem amor, quanta in Patriam teneritudo viscerum fuit, quàm continuæ curæ, quanta in leniendis Patriæ morbis sollicitudo, appello hîc Principis ipsius gratitudinem, qui inflammatum facibus honestissimæ in se Patriamq; pie-tatis cernens eius animum, certauit cum eo summis honoribus? vtq; eius meritis paria refunderet, primò eum Præfecturâ Lomzensi Schadkowiensi-q; donauit; deinde Castellania Siradiensi cumulauit; mox Gubernatorem Magnum REGIÆ DOMVS suæ constituit; postea Palatinatu Brestensi decorauit; tandem cùm nullum cerneret finem meritorum, Palatinatus etiam Siradiensis amplissimâ dignitate exornauit. Excepit ille tanti honoris ra-dium, quid nisi vt iterum noua in Patriam merita regereret, testareturq; Patriæ quantumcunq; illa magna conferret, maiorem sibi animum ad refun-dendum superesse. Hoc loquuntur Moschouiticæ Commissiones tertiùm ab ipso iam susceptæ, in quibus suam in tumidis barbarorum flectendis a-

nimis

nimis ſapientiam, fidē, conſtantiam, fortitudinē in exarmandis, prudentiam in grauiſsimis componendis controuerſijs, ſera loquetur poſteritas, in tantiq; Herois venerationem mutuo ſemper conſenſu conſpirabit. Hæc ſunt ILLVSTRISSIME PRÆSVL præclariſsimæ gentis Tuæ decora, hæc lumina pulcherrima, quibus ſi Tu tantùm nitereris, vix operæ pretium eſſet, ab ijs mentem aliò ſtylumq; transferre. Sed enim generoſa quâdam ductus æmulatione, non niteris hiſce natiuis ornamentis, neq; hæc aliter Tua exiſtimas, quæ Tui geſserunt; quàm nobiliſsimi pictores ſuum putant elegantiſsimum archetypon, quod imitentur. Alioquin quid iuuat aliquando ſtetiſse Auos, ſi nepotes iacent, eminuiſse parentes, ſi filij meros plebis mores ſapiunt, fulſiſse generis auctores, ſi poſteri caliginem a ſe obijciunt, ſi cineribus tandem ignauiæ generoſior hic ignis obrutus elangueſcit. Nemo (ſi Stoico id eſt vero ſenſu amamus loqui) in noſtram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit noſtrum eſt. Oportet (elegantiſsimi Puteani verba ſunt) primò veram in animo Nobilitatē ponere, aſſumere deinde ornamēta, quibus illa reſplendeat. Nam niſi boni ſumus, fruſtra diuites & benè nati, niſi culti & facundi, fruſtra inclyti generis ſtirpe commendati. Eam Tu veræ laudis, veræq; gloriæ comparandæ certiſsimam rationem, ita in ipſo adhuc rationis crepuſculo es ſecutus, vt niſi in aliis præclariſsimis Viris ſimilia exempla præceſsiſſent, quæ Tu ſequereris: in Te fuiſſet propoſitū exemplum, quod alij ſequerentur. Cùm enim eâ Proſapiâ: quæ vt oſtendi ampliſsima eſt, & ſi rerum geſtarum gloriâ hoc ſterili virtutum ſæculo conſideretur, cum paucis conferenda; in lucem prodijſſes: non in eo vniuerſæ laudis curſum ſiſti oportere prudenter cenſuiſti, ſi ab vnica generis commendatione ad hominum proflueres exiſtimationem: ſed eò ſemper generoſam Tuam direxiſti indolem, vt (quemadmodum doctiſsimus Caſsiodorus loquitur) eligeretur in Te naſcendi laus, viuendi gloria: & cùm multa traheres ab antiquis, mereteris placere de proprijs: neque ſolùm referres facie ſanguinis decus; verùm etiam virtutibus Tuis immortalem veri decoris laudem Familiæ Tuæ comparares. Age igitur qualis quantuſq; fueris, quàm ad omnem ſolidæ gloriæ normam compoſitus, quàm indies Te ipſo melior & perfectior, tacitus mecum recognoſce. Principio cùm ingenium quoad naturæ benignitatem ſolers & amænum, quoad vſum vigilans & laborioſum nactus eſſes, nihil prius in votis habuiſti, quàm vt inuſitatâ rerum multarum cognitione illud perpolires, erudireriſq; ijs artibus, quibus mentes ad ſublimes functiones proueuntur. Ergò antiquiſsimum Poloniæ Gymnaſium, Regiæ magnificentiæ, liberalitatiſq; verè Regale monumentum, omnis humanitatis omniſq; elegantiæ ſedem auguſtiſsimam, fideliſsimamq; nobiliſsimæ pubis educatricem Vniuerſitatē Cracouienſem delegiſti, eiuſq; erud itiſsimis cōplexibus Te commiſiſti, vt in ea tantiſper mel & nectar illud ſvauiſsimæ doctrinæ ſugens, paulatim ad ſolidiores doctrinæ cibos diſponi poſſes. Cuiuſquam verò eſt tam exundans dicendi copia, tam copioſa inſtructi ſermonis vbertas, quæ infractum illud Tuum diſcendi ſtudium, atq; inſolitam ſciendi

endi cupiditatem pro merito exprimat. Labor est aliis & pœna, subducere aliquid vitæ oblectamentis, vt Musis consecrent, remittere nuncium voluptatibus, vt lugubrationi tempus impendant, respuere blanditias omnes, omnem vitæ cursum in corporis atq; animi sedulâ contentione conficere, vt tandem desideratâ rerum cognitione potiantur: Tibi ILLVSTISSIME PRÆSVL selectissimum fuit condimentum, ludusq; delicatus. Compertum fuit tùm exploratúq; omnibus, ad quantam virtutem maturus peruenturus esses, quandoquidem adhuc puer virtutum Seminario generosiore concretus, nihil non inclytum designabas. Patuit Diuinitùs Te iam ad magna & præclara negotia destinari, quandoquidem Tuum ingenium flexibile, tenerum, molle, cereum, facillimè fingentium industriam sequebatur, & in varias sese diduci formas permittebat. Maturueras iam tanto literarum ardore consummatus omnium opinione, sed non Tua, cui rudimenta hæc placebant quidem, verùm vt ad maiora inexplebile illud virtutis Tuæ desideriũ anhelaret. Sciebas Sarmatiam feracissimam quidem esse omnis gloriæ exemplorum, domique ea nasci quæ imitari generosissimo cuiuis sufficeret: sed neque illud tamẽ nesciebas, non vnum adolescenti solum premendum, nec ab ore suorum tantùm diutiùs dependendum. Habere etiam suos Italiam, Germaniam, Galliam, præstantes doctrinâ Viros, & velut Oracula literarum, à quibus vtiliter responsa, possent peti. Visum est itaq; sic instituto domi ac imbuto, aliunde petere doctrinæ præsidia, & inuisere quidquid cultarum est in Europa nationum, vt necessarias Viro in Republica victuro linguas, & præclaras artes, & indolẽ Aularũ, & quidquid vbiq; est præcipuum perdisceres. Visum florida vbiq; germina prudentiæ, quæ per tot Regiones fuerunt dispersa, colligere, & ex ijs lectissimam prudentiæ Coronam, capiti Reipublicæ suo tempore imponendam, colligare. Erãt sub oculis permulta spectaculorum oblectamenta, nouæ & inusitatæ montium formæ, & irriguæ perennibus aquis valles, & fluuiorum lenissimi cursus, & lætissima camporum vbertas, & viriditas in diuersos colores distributa, & Vrbes crebris domuum fanorumq; eminentes fastigiis, & amænissima varietas rerum, naturæq; veluti suas opes explicantis industria; quæ singula curiosos & oculos & animos, neglecto interim studio sapientiæ, improuisâ suâ nouitate diutissimè recreare possent: ijs Tu haud alitèr auidissimam reficiebas mentem, nisi vt alacrior deinde, & veluti resumpto spiritu, ad nouos labores festinares. Occurrebant rursus ingeniâ erudita humanitatis cultu perpolita, feliciterq; in hac literaria arena desudantia: iis Te adiungere, eorum familiaritatem, vsum, colloquium studiosè perquirere, magnoq; emere; & ex facundissimis illorum sermonibus, tanquam turgentibus fontium venis, abditos doctrinæ liquores haurire non negligebas. Occurrebant memorandæ antiquitatis vestigia, & venerandæ prisci illius æui reliquiæ, eas Tu seligebas, notabas, ad lucemq; retrò acti sæculi referebas, vt ex recurrentium similium causarum euentuumq; circulo, similem depromeres solertiam iudicandi. Inter hæc tamen

men non minor Tibi cura, ne peregrinos illos mores, qui partim nouitate, partim specie ipsa virtutum blandiuntur, combiberes, ne Tuam natiuam innocentiam squalido vitiorum succo inficeres, ne velut in publica contagione næuus aliquis, aut macula, in optimam Tuam indolem transiret. Pulchrum enimuerò, & magnificum ad laudem, ita in illis locis peregrinari, vt, cùm cætera quidem quæ ibi pulchra sunt, capacissimo ingenio, & naturæ bonitate, breuissimo tempore complexi fuerimus, ad sola tamen vitia moresq; pessimos indociles fuisse videamur. Quotus quisq; ita ibi versatus est, vt non impetu ipso incurrentium in se vitiorum obrueretur? quotus quisq; ita ibi commoratus est, vt non influentia blandimenta, aliquoties exclusa, nouissimè tamen in suum contubernium receperit? quotus quisq; non ibi suauissimis voluptatum illecebris, velut in certamine impari deprehensus, victas manus præbuit. Non alij marcidi luxu degustatis Circeiis poculis, dolendâ Metempsychosi, homines in belluas sunt mutati, cùmq; loqui deberent, grunnire didicerunt? Non multi cum Vlyssis socijs in horrendam Polyphemi specum ingressi, dùm incauti alienos affectus tolerare nesciunt, illi miserabilem in prædam concesserunt? Non pleriq; degustatâ luxuriæ Loto, non Patriæ tantùm, sed bonæ mentis amorem exuerunt? Non innumeri Sirenio blandissimo cantu deliniti, honestatis suæ naufragium miserabile subierunt? Non complures ad Solis boues sacrilego accessu facto, supremi in se Numinis iras & fulmina prouocârunt? Non infiniti cùm securè in destinatum plaudentibus cunctis veherentur sapientiæ portum, in Scyllam & Charybdim impegerunt? Tua contra & moderatio fecit, & accuratissima circũspectio, vt Cyclopis specum introires, sed egredereris: Solis boues videres, sed abstineres: Scyllã & Charybdim præter nauigares, nec abripereris: Circes poculum biberes, nec mutareris: ad Lotophagos accederes, nec remaneres: Sirenes audires, nec in dulcem somnum lumina declinares. Gemmas videmus etiamsi inter spumeos vndarum vortices, & procelloso fluctu conuulsa maria in alta caligine Oceani nascantur, cœlestem tamen originem, & matutini roris è quo defluente in suis concipiuntur conchis, referre puritatem. Gemmissimillimus fuit ille animus Tuus, qui in peregrinarum concursu deliciarũ, in illa ætate, in qua ipsa natura profundit immoderatas cupiditates, in deprauata viuendi licentiâ, quâ certamen suscipitur ne quispiam frugi adolescens reperiatur: ita se grauitate & castimoniâ, & cùm disciplinâ domesticâ, tum naturali bonitate sepsit, vt natiuum semper illibatæ innocentiæ colorem retinuerit, ab exoticisq; illecebris illæsum se semper & indemnẽ conseruârit.

Atquè hæc in exteris Regionibus. Redux porrò in Patriam, inuenisti eam in alto felicitatis culmine sub VLADISLAO quarto, quo nullum feliciorem REGEM benigna nobis transmiserunt fata, constitutam, talemq; qualem antea orbem fuisse vniuersum, Saturno regnante, Poëtarum nobis dulces fabulæ prodiderunt. Cùm uerò arduum inprimis putares inter obsequia blandientis fortunæ, eodem in confinio bonam mentem

tenere, neq; non difficillimum iudicares, delinimentis Aulæ ad segnitiem & luxum non detorqueri: genus vitæ elegisti quietum, tranquillum, seductum ab omni humanæ ambitionis pompâ: sanctisq; altaribus Luceoriensis primò, mox Cracouiensis Ecclesiæ Peraugusto Canonicorum adscriptus Collegio, purum Te admonuisti Sacerdotem. Placebant Tibi castissimæ illæ pietatis flammæ, quibus ceu impetu ad supremum Numen, cui seruiunt ima, plaudunt suprema, ferebaris. Arridebat mirificè mellitissimus ille sapor, quo DEVM mundanis euolutus curis, in hac mortalitate degustare incipiebas. Rapiebaris in intimam venerationem naturæ illius, ex qua omnia oriuntur, in quam omnia certâ lege, diuersis licet itineribus, reuertuntur. Tangebaris intimo dulcedinis sensu, cùm primam illam purissimamq; cogitabas pulchritudinem, quæ postquam suæ illius primigeniæ & inuisibilis formæ fragmenta, per vniuersum diffudit Orbem, ab illo tempore sol nobis lucet, labuntur sidera, fluunt maria, crescunt herbæ, inaurantur segetes, seruiunt animalia, natant pisces, terra metalla fundit, & omnis naturæ pars tributum aliquod liberaliter nobis confert. Vix hæc Regina palatium intrauerat mentis Tuæ, pleno agmine secutæ sunt eam comites aliæ, quotidiana propè Sacrosancti Missæ sacrificij oblatio, crebra noxarum animæ per confessionem expiatio, rerum spiritualium dulcis memoria, fidei Orthodoxæ vbiq; promouendæ ingens desiderium, eximia erga Augustissimam Cæli Reginam deuotio, constans & æqualis sanctarum consuetudinum obseruantia, animiq; semper diligens scrutinium & custodia. Properârunt & aliæ non minores hisce tenuiorum deliciæ, in pauperes caritas & beneuolentia, in Religiosos liberalitas, in omnes tenerrimus miserationis affectus, & iam propè ex consuetudine benefaciendi natura. Obseruatum deniq; est ardentiùs ab illo tempore inuictæ mentis maiestatem in Te elucere, promptiùs timoris iuxta & gratiæ victricē veritatem emicare, clariùs perennem in Patriam amorem effulgere, constantiùs æquitatem, bonitatem, iustitiamq; enitescere, euidentiùs ad extremùm, omnia vitutum decora in Te recenseri. Ita nimirum est. Cæteræ virtutes solitariæ incedunt: hæc Cœli germen, Orbis columen, nunquam nisi cum omnibus virtutibus stationem sibi in humano pectore collocauit. Cùm etenim omnes virtutes, quasi minores radii obscuriùs fulgeant; facilè ad hanc suam Lunam amabili nitore cumulandam congregantur. Cùm velut non æquè volubiles nodi difficilè sibi cohæreant; libentèr cum hac è Cœlo protensa catena arctissimo nexu copulantur. Cùm tanquam viliores gemmæ non plenam lucem spargant; ad hanc suam coronam concurrunt non inuitæ. Verbo claudam, cùm minoribus semitis ad DEVM ducant; celerrimè huius sese lateri iungunt, ad quem compendio venit, & cum quo proximè & ex vicino agit ista. Exultabas gratiosissimis hisce ornamentis ILLVSTRISSIME PRÆSVL, & in sinu huiusce Diuæ rore cœlesti continuò mentem pascens, felicissimum Te prædicabas, quod Tibi relegatâ continuâ rerum humanarum vicissitudine, vita contigisset quietissima, & in Cœlum gratissimâ excurrens libertate. Cæterùm Respu-

blica

publica tamen eam Tibi felicitatem, incredibili Tui deſiderio flagrans, propè inuidebat, ſeq; à Te tam libenter deſeri, ægerrimè ſuſtinebat. Quid enim? an ideò tantùm genuiſſet, aluiſſet, fouiſſetq;, vt innocenti illâ quidem, ſoli tamen Tibi proficuâ tranquillitate fruereris. Anachoretarum iſta laus eſt, quibus arcanus ille de Cœlo inſtinctus ſolitudinem imperauit, & in remotiſsimas à conſortio hominum ſyluas duxit, quò faciliùs occulto illo paſtu Diuinæ voluptatis, DEO & ſibi vacantes fruerentur. Nobiliſsimis porrò mentibus, quæ bono publico natæ ſunt, non hoc ſolum agendum, vt in Cœlum deuotiſsimas ſuas mittant cogitationes; verùm etiam Rerum publicarum ſaluti, omni conatu omniq; ſtudio prouidendum. Stare omnes debemus (inexhauſtum eloquij Romani mare Tullius loquitur) tanquam in Orbe aliquo Reipublicæ, qui quoniam verſetur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius vtilitas ſaluſq; conuerterit. Quid quòd iam tunc immitia fata, longi otij multiplici malo exactura pretium, imminebant Reipublicæ, horrendumq; neſcio quid & formidabile eò magis minabantur, quòd ſub proſperrimo VLADISLAI Regimine, in eo iam culmine conſtiterat, vt ipſi neceſſariò deſcendendum eſſet, eam igitur ſub tali ictu ſtantem deſerere, an non id non modò inconſultum, ſed propè inhumanum eſſet? Paruiſti igitur ILLVSTRISSIME PRÆSVL, publicæ neceſsitati, pauliſperq; deſcendens de dilectiſsima illa tranquillitatis Arce, in quam Te Tuo conſilio abdideras, ad clauum Reipublicæ conſediſti. Honores porrò, qui Te ſibi ambire viſi, cùm priuatus eras, ad publicas curas accedenti ſponte ſuâ occurrerunt, breuiq; Te talem Referendarij minoris & Theſaurarii S. REGINALIS MAIESTATIS illuſtres functiones ſibi vendicârunt. Verſi erant tum omnium in Te animi, expectabaturq; ab omnibus ordinibus cupidiſsimè, quantùm admiranda Tuarum virtutum vbertas ſeſe eſſet profuſura. Fuit in omnium ſermonibus, incredibilem quandam in Te animi magnitudinem eſſe debere, quæ tantâ ſuffragatione apud SERENISSIMAS MAIESTATES digna videretur. Tam expreſſam & manifeſtam hominum de Te exiſtimationem, tam inſitam opinionem, admirandâ actionum Tuarum & virtutum præcellentiâ & dignitate ita ſuperâſti; vt facilè intelligerent omnes, nutritam fauſtis ſub penetralibus eximiam Tuam naturam eam eſſe, cui quoduis onus imponi poſſet; neq; vllam eſſe perplexitatem, quam non Tuâ dexteritate expedires, nullum negotium, in quo non vniuerſorum promptiſsima in Te ſtudia concitares. Auſpicatus es hoc publicæ famæ rudimentum vt alii deſinunt, magnus viſus, è longinquo, & digniſsimus quẽ etiam fugientem honor ſequeretur; at multò maior poſtquam Te lux publica circumfulſit: non ſecùs ac nobiliſsimi vniones, qui licet in abdito, non tenues ſpargant ſui ſplendoris radios, multò tamen eminentiores apparent, poſtquam ad exploratricem veri lucem examinati fuerint, & expenſi. Ea enim fide, diligentiâ, ſolicitudine egiſti omnia, vt nec labor, nec diligentia, nec fidelitas in eo munere Tibi defuerit vnquam. Quis enim fideliùs & cautiùs egit, vt ſancta eſſet Principi reuerentia, vt ſecretum ſilentii ſa-

rii ſacrum, vt religioſa arcanorum cuſtodia, quam Tu? quis cuncta onera accuratiori expendit prudentiâ, quis dexteritate laudabiliori diſtracta licet & varia compoſuit ordinauitq; negotia, quàm Tu? quis rationes pecuniæ ſolertiùs, religioſiùs, ſanctiùs, abſtinentiùs adminiſtrauit, quam Tu? Adeò mehercule vt ne Lyncei quidem liuoris oculi quidquam inuenire potuerint, quod in Te per ſummâ maleuolentiam in culpam aliquam trahi poſſet.

Sed cùm multa Tu grauiter, tum vel illud inprimis, quòd oſtendis in ſole & publico, quæ in vmbra aliquando didiciſti, exprimis in aperta luce, quidquid nobis tanquam in ſpeculo doctiſsimi viri reliquerunt: deſpiciſq; illam Muſarum amænitatem, quæ in ſolis libris hæret, vſum porrò & negotia ciuilia auerſatur. Neq; verò ego damnauerim per ſe quiêtam illam & otioſam contemplationis dulcedinem, & intra metam alicuius ſcientiæ exercitatum acumen, aut in Philoſophicis ſubtilitatibus Pöeticiſq; argutijs occupatas cogitationes. Nam & iſtæ artes etiamſi remotæ, à ſtrepitu popularis vulgi, venerabiles ab omnibus, innocentiſsimæq;, & moleſtæ nemini iudicantur. Sed ſi quis tamen animo erectior, altum & ſublime ingenium multâ ſubactum eruditione, quale Tuum eſt, in prolixam deducat ſedulitatem, Patriam conſilijs firmet, auguretur futuros in Republica motus, tempeſtiuiſq; eos remedijs anticipet, ſemperq; in bono communi promouendo excitatiſsimâ alacritate verſetur: tunc ego eum magis quàm ſi ſolis lunæq; errores, & redeuntes in circulum anni vices obſeruaret, & varijs pictum ſchematibus componeret carmen, admirabor. Doceor enim antiquis Hiſtoriarum monumentis, æquiùs illos ſapientum ſuſtinuiſſe nomen, qui in Republica defixi gerenda, publicis ſe totos vſibus impendebant, ſuorumq; commodis ciuium, magis quàm apes ſuis aluearibus, intenti erant: quàm verò illos ſuperfluæ doctrinæ viros, qui extra vmbratiles ſcholarum anguſtias, pedem nuſquam proferebant. Simul cogito, cum Tu in omni occaſione, eximias mentis Tuæ dotes explices, & in præcipiti rerum negotiorumq; varietate, nuſquam varius, ſemper Tui ſimilis, nuſquam conſilij inops, ſemper feraciſsimus, nuſquam trepidus, ſemper fortis, nuſquam deiectus, ſemper ſtrenuus, admittas Muſas in ſecretum, libentèrq; erudito moleſtias laborum diſpungas otio, ſerium Tibi ſemper excitatumq; animum eſſe debere, cui ne remiſsio quidem placet alia, niſi ſpecie quâdam laboris licet amænioris temperata. Atq; ego hîc felicem Te futurum LVBRANSCIANE HELICON iam verè poſsum ominari. An enim non attollet induratas laboribus Profeſſorum mentes Præſul literatus? an à ſua tutela ſeiunget triſtes hac tempeſtate Camænas, Mecænas benigniſsimus? an non ſuo animabit ſpiritu oppreſsas temporum iniquitate, iamq; ſub onere aduerſitatum gementes Muſas propenſiſsimus Fautor, cui vt occupationibus literarum honeſtiſsimis recreari eſt iucundum; ita bona ingenia fouere promouereq; nimis promptum. Præteritam ætatem ſi conſulimus, rarò literæ niſi à barbaris, obtuſiſq;, & humani generis conſcientiam metuentibus, viles habitæ: contra vt quiſq; aut digna literis geſsit, aut vim mentis ſuauitate earum perpoliuit, eo ſemper eas loco habuit,

buit,

buit, quo carissima quæq; haberi solent. Vos tantùm ô maturè mihi cogitate Professores optimi, non iam quâ ratione infestæ vos opponatis inuidiæ, astusq; malignos eludatis: sed quibus modis vestrum vobis Præsulem obstringatis, quibus monumentis viuam humanitatis eius imaginem posteritati exhibeatis, quàm vocali duraturæ facundiæ plausu, in seras eum, ætates deducatis.

Quanta verò Tua est in omnibus præcellentibus dignitatum fastigijs moderatio? quám mitis animi nullis honorum deliniti blandimentis æquabilitas? quàm perpetua quædam voluntatis ad omnem mediocritatem conformatio? quàm non dissoluta comitas affabilitasq; ? vt mihi cum magna fortuna, incredibilis quædam modestia ad Te illustrandum consensisse videantur. Magna quædam & inusitata ratio est, in accessione honorum, animum non submittere fortunæ illecebris, colligere ingenij exultantis lasciuiem, inter beatos modestiæ fines, bonam fortunam, & bonam mentem eodem tenere in consortio, omnia integrè, moderatè, incorruptè, tueri & conseruare. Singularis & admirandæ sapientiæ est, in lautiore fortuna regionibus sese officij continere, vi dignitatis non conuelli, atq; in concursu maioris gloriæ & felicitatis obrepentem sæpiùs ambitionem excludere, eamq; ad viliores animas relegare. Difficillimum est, dicam cum suauissima Galliæ Nardo: in alto positum non alta sapere. Quidquid enim in intimis pectoribus leue, quidquid inane est, secundis se fortunæ ventis sustollit & effert, agit, rapitq; tumidos per vasta & inania. O quoties vidimus dementes multos & ignauos veriq; honoris inscios, ubi primùm repentè, prodigentis felicitatis munere ad aliquam fuerint euecti dignitatem, inassuetâ dulcedine, sui quoq; oblitos, deduci in superbum sortis illius contemptum, de qua exiêrunt. Quoties risimus apud tales, prodigiosâ sui ignoratione tumentes, permagnò aditum ac tactum liminis æstimari, non mediocris in loco honoris haberi, si ostio suo propior assideas, si gradum prior intra domum ponas, si verba aliqua audientibus eloquaris. Hæc persuasio superbissimas inuadit mentes, perire sibi totum honoris fructum, nisi benignioris conuictûs excludens amænitatem, tristi seueritate inhorrescat. Nec deformitate istâ contenti sunt, verùm si quando de illo ambitiosissimi fastûs culmine descendere libuerit, aliorumq; infra se positæ tenuitati permisceri: tàm ægrè compositi sermonis diducunt formam: adeò omnia verba velut Pythiæ responsa, dubia, ancipitiq; gladio simillima, nec tota secura, nec tota fallacia in officina cudunt simulationis: adeò inter blandas pollicitationes, & superciliosum fastum sermonem diuidunt: vt credas in illo tam dispari rerum diuersarum confinio, omnem beneuolentiæ, candoris, humanitatisq; sensum exspirare. Te ILLVSTRISSIME PRÆSVL in omni fortuna eundem semper & æqualem nihil in eos impulit laqueos, nihil ad infame hoc multorum Magnorum virorum pernicie saxum præcipitauit. Nulla Tuum candorem simulatio tegit, nulla calliditas prudentiam attenuat, nulla leuitas morum grauitatem inficit, nulla superbia modestiam opprimit, nulla vanitas solidæ virtutis possessio-

nem comitatur. Certas cum aliis industriâ, sed sine fastu; modestiâ amorem concilias, sed sine supercilio; contendis ad sublimes honorum apices, sed sine contemptu minimorum; loqueris de Te, sed cum ingenua animi submissione; de aliis, sed cum eximia propensæ voluntatis declaratione: quàmq; Tua negotia parcissimè æstimas, tàm aliena effusissimè laudas. Qui profectò summus candoris, summus innocentiæ fructus est. Nemo enim benè, nemo egregiè de omnibus sentire potest, nisi qui egregius qui optimus est. Nemo fucum exspectat, priusquā fecit, & si per gradus improbitatem subducimus, posterior suspicio, quàm scelus est. Iam humanitatem, beneuolentiam, facilitatem, quis tàm facillimè omnibus impertitur, quis tam libenter copiosissimos benignitatis suæ fontes etiam immeritis & indignis vult patere, quemadmodum Tu? Non est ad Te inuia, non est aspera semita, sed planissima, sed facillima, per quam licet minimis quoq;, & quibus necdùm præ verecundia firmati gressus, ad humanissimam Tuam peruenire dignitatem. Nullus est circa fores Tuas obsidentium tumultus, nullū in admittendis infimis fastidiū, audiūtur statim, dimittūtur statim. Si quid est in quo Tua inuocetur benignitas, in quo profusissima liberalitas imploretur, id tātâ facilitate, tam promptâ munificentiâ elargiris, vt nulla in dando mora sit, nisi quam verecundia faciat capientis. Præuenis etiam desideria cuiusq;, sciensq; quàm hominibus probis, molestum & onerosum, & demisso vultu dicendum est verbum illud Rogo: coniicis de cuiusq; voluntate, & cùm à Te intellecta est, grauissimâ eam liberas necessitate obsecrandi; nec aliam mercedem desideras, nisi quam Tuæ Tibi rependit conscientia bonitatis. Macte ILLVSTRISSIME PRÆSVL his dotibus columbinis, cùmq; cæteræ omnes virtutes, tum hæ potissimùm duæ candidissima simplicitas, & promptissima bonitas, constantissimè à Te teneantur. Hæ illæ virtutes sunt, quæ non omnium tantùm nobis coniungunt animos, & fauentissimos conciliant affectus: verùm etiam nunquā è memoria humani generis exolescunt, neq; in gratissimis Posterorum pectoribus, vetustatis vnquam iniuriâ exstinguuntur. Victoriæ, & bella, & triumphi celebrantur quidèm, & victuris in ætates præconijs transmittuntur: sed tamen huiusmodi res, nescio quomodo etiam dum audimus, cum quadam animorum auersatione percipimus: quòd necesse est multum illis & cupiditatis, & odii, & inuidiæ, & crudelitatis, & simultatum immisceri. At verò cùm aliquid clementer, mansuetè, moderatè fieri videmus: cùm omnes promiscuè dignos indignosq;, nunquam satis laudandâ beneuolentiâ exornari, eorumq; fortunam amplificari intelligimus: cùm alicuiùs animum sinè vlla simulationis nube, sine vllis latebris, candidum, rectum, ingenuum aduertimus; vt exurgimus animo ad talium virorum facilitatem prædicandam, vt alacri studio incendimur ad eos etiam, quos nunquam vidimus diligendos, vt eos qui hæc faciunt non summis modò viris comparamus, sed simillimos etiam DEO iudicamus. Simillimos dico. Non enim certiùs Diuinitatis, supremæ illius ab omni concretione mortali seiunctæ naturæ habemus argumentum, quàm beneficam, libera-

lem,

lem, la rgam & ad inferos vſq; ſe ſe extendentem benignitatẽ. Non euidentius magnitudinis ſignum, quàm quòd, cùm omnes omnium rerum perfectiones eminentiori quadam in eam confluant ratione, à puriſsima tamen ſua ſimplicitate non recedat.

Iam me aliò vocant maiores virtutes Tuæ. Maiores? quaſi verò non hæ quas memoraui maximæ ſint: quaſi verò non hæ digniſsimæ ſint; quæ non tantùm perfectas Tuas laudes abſoluant; verùmetiam ad ſubſequentium memoriam ſæculorum, victuris chartis inſcribantur. Sed nempè quemadmodum qui in ſplendidiſsimum illud Cæli domicilium, & confuſa tot aſtrorum velut caſtrorum agmina, ſuos defigunt obtutus, omnia quidem illa gratiſsimo ſplendore coruſcare intuentur: inter ea tamen quædam maiora notant, quorum clariſsimo nitore multò vberiùs horror noctis & triſtes tenebræ diſpelluntur. Ita mihi continuam virtutum Tuarum ſeriem contemplanti, quamuis nulla exigua, nulla parua videatur, ſunt tamen quædam ampliores, & accuratiori ſtudio in theatrum humani generis & in conſpectum omnium gentium proferendæ. Videor enim mihi videre ILLVSTRISSIME PRÆSVL, Te in altiſsima rerum Politicarum ſpeculâ conſtitutum, de longè præcurrentem in omnes fortunæ partes, & conſilijs facta præuenientem. Cerno animum illum Tuum igneum, prouidum, circumſpectum, tanquam Iudicem pro tribunali rationis ſedentem, & venturas Reipublicæ calamitates ſolertiſsimè præſagientem. Intueor prudentiam illam exactè omnia Reipublicæ negotia penetrantem, omnes eius morbos ſeriò expendentem, & per omnes omninò diſcurrentem Reipublicæ ſtatus, ne illa in eas prolaberetur calamitates, quas cùm leget poſteritas, Græcorum ſibi nugas, aut Ægyptiorum ſomnia putabit enarrari. Operæ pretium eſt referre quid Patria ſuſtinuerit, vt intelligatur faciliùs, quid Tu eius gratiâ præſtiteris. Exundauit in perniciem Poloniæ quaſi Æthna aut Veſuuius mons latrocinij ille Suetici turbo: inexplebiles ſanguinis & Imperii Vandalici lupi, velut fulminanti procellâ, per omnes Poloniæ partes victoriæ tempeſtate delati, crudelitatis ſuæ imbre cuncta polluerunt. O dolor quæ non vidimus, quæ non paſsi ſumus! Vidimus igne incenſas populoſas Vrbes, auctos ſanguine ſpumantes fluuios, profanatas religiones ſanctiſsimas, omnes angulos cædibus atq; vaſtitate exhauſtos: occiſione, inflammatione, euerſione, vniuerſam Poloniam diſcerptam, concuſſam, laceratam; totamq; in nos malorum tempeſtatem efferueſcentem; ac ne mortem quidem conceſſam, niſi quam imperantis libido præſcribebat. Miſerum id fuit ſpectaculum, ſed tamen nobis cum multis commune: ſic enim hæ bellorum deſæuiunt flammæ, vt in iis locus humanitati non relinquatur; nec aliter pax permittatur, niſi dùm horrida vaſtitas, & mæſtiſsima inducitur ſolitudo. Non tenuimus lachrimas etiamſi eas immenſitas doloris conſumpſerat, dum Principem Optimum, Patrem Patriæ, vnicum labentium rerum columen & præſidium, vrgentibus aduerſis caput ſuum ægrè ſubducentem, & in ſola Diuinæ fiduciâ benignitatis ſecuritatem portumq; afflictis rebus ſuis collocantẽ conſpeximus.

Dolen-

Dolendum id etiam fuit & tristissimum ostentum, sed REGIBVS tamen non infrequens, quorum tristes casus, & indignam REGALI fastigio sortem, exitus tandem mites excipiunt, & momento componunt fortunam iam prolapsam. Stupuimus permultos metu incumbentium malorum, aut in exteras sese recepisse Regiones; aut domi in opaca syluarum lustra montiumq; secessisse latibula; aut fidem Principi semel datam eiurâsse. Fuit id quoq; atrocissimum, & intimo à nobis mæroris exceptum sensu, sed tamen fuit ferendum; necessitati enim parendum esse, potentiumq; iras non prouocandas, imò declinandas haud aliter, quàm in nauigando procellam, omnes sapientes Viri docuerunt. At verò, quòd robur exercitûs Poloni, firmamentum Patriæ, clypeus quo se illa contra omnia pericula protegebat: quòd inquam vniuersæ Legiones Cœlo terrâq; inuitis, neglectâ conculcatâq; Principis Patriæq; reuerentiâ, fidei se hostili commiserint, eius signa secutæ, arma, manus, animos, in Patriam hosti commodârint, ad communem libertatem oppugnandam incredibili quadam contumaciâ insurrexerint, iamq; in ceruicem Reipublicæ districtos vibrârint gladios, id verò fuit eiusmodi, in quo omnis omnium malorum cladiumq; comprehensio, contineri videbatur. Nam quid erat, cur nostris tam deploratis rebus exitum aliquem feliciorem affuturum polliceremur, quando ipsis adminiculis, quibus adhærebamus, mergebamur: ipsis fulcris, quibus inniti poteramus, obruebamur: ipsa auxilia nostræ securitatis, in metum nobis hostilitatis vertebantur. Tam miserâ rerum nostrarum in reuolutione, si quis fortè fatidicus, & Diuino afflatus spiritu, in ipso malorum omnium articulo, lugentibus & peiora metuentibus interuenisset, pollicitusq; fuisset, se tam miserabilem scenam facilè compositurum, extorturum à furiosorum manibus arma sacrilega, subditos ad officium, contumaces ad obedientiam reducturum, paceq; omnia, otio, tranquillitate sopiturum, non ne aliis quidem, capite præsentis intuitu calamitatis moto, furere bacchariq;: aliis præstrictis tanto miraculorum euentu, magnifica in speciem, re ipsâ difficillima promissa, vanissimâ spe obtrudere videretur. Inuentus tamen es Tu vnicus, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, cum incomparabili Heröe fratre Tuo, cuius industria, solertia, consilium, tantis rerum difficultatibus compescendis, abundè pares essent. Adiisti tumultuosos milites, & lenitatem eloquentiæ, prudentiam comitati, grauitatem humanitati, maturitatem suauitati placidissimè coniungens, incredibili quadam felicitate dicendi fregisti temeritatem insolentium, vicisti contumaciam ferocientium, moderatus es animis refragantium, cohibuisti iras, mouisti affectus, rapuisti corda, furorem & impetum exarmâsti, vt illi dulcissimo Orationis Tuæ flumine deliniti, rursùs magno animo pro legibus & libertate Patria, omnes periculosissimas dimicationes sese suscepturos, omni asseueratione confirmarent. O natam saluti Reipublicæ Tuam ILLVSTRISSIME PRÆSVL dexteritatem! ô lætam calamitosissimis Patriæ rebus prudentiam & sedulitatem! ô prædicandã & durissimis etiam saxis ac marmoribus ad nunquã intermorituram memoriam insculpendam, in erigenda iacente Patria diligentiam

gentiam Tuam, & pietatem. Quid mihi vel ipsa veneranda antiquitas, celebrandis supra modum suorum virtutibus, nimiùm, quàm effusa, aut Menineum Agrippam magnificis attollet præconiis, cuius facetissimus apologus seditiosæ Romanæ plebis in Auentinum montem secessionem mitigauit: aut Periclem Atheniensem supra modum prædicabit, quòd is in domesticis discordiis sedandis Regnum quasi tenuisse videbatur: aut antiquum illum Nestorem, non citra læsæ suspicionem veritatis laudabit, cuius suauissimâ persuasione delinitus igneæ, mentis & vigoris adolescens Achilles, cum Agamemnone in gratiam rediit: aut Antonios, Cicerones, Pompeios, Catones, sinè mensura, sinè modo decantabit; quorum in mitigandis exortis tumultibus mirifica fuit felicitas. Longè maiore, Tu ILLVSTRISSIME PRÆSVL, curâ à succedentis temporis obliuione vindicandus; longè amplioribus elogijs in ora cunctorum hominũ, & sermones diffundendus: qui eam rem, ad quam ne spei nostræ quidem patebat aditus, tam facilè perfecisti. Quid enim mirum est, hos quos memoraui Viros, tantùm suâ Diuinâ facundiâ potuisse, cùm non dum intimis fibris & medullis, in Rebuspublicis excepti fuissent corrupti mores, cùm in tanto numero ciuium semper maior extitisset bonorum multitudo. At verò Te in militari licentia admodùm dissoluta, cum proiecto propè & exterso pudore, in omne genus audaciæ ferretur indomitæ; ita ijs officium suum sine exprobratione mirificâ sermonis suauitate exponere; ita dedecora, ignominias, infamiam in vniuersi Christiani Orbis conspectu contractam, sinè insultatione demonstrare potuisse: vt ij tandem desertis Suecorum partibus, ad auctoritatem Reipublicæ in posterum asserendam promptissimis animis cõspirârint, fuit profectò stupendæ cuiusdam inauditæ felicitatis. Ab illo namq; tempore feralis ille, nostrarum Prouinciarum terror, & fatale malum fastum pariter, & animos submisit: & cùm omnia circũspiceret, non aliud sibi, nisi in fuga relictum vidit præsidium, nec exitum alium, nisi vt vinceretur. E conuersò apud nos omnibus redire amissus vigor, resumi intermissa fortitudo, offerri facultas, diuturnum iugum excutiendi; iamq; omnia in spem recuperandæ libertatis proniora: quia nobiscum in mutuam societatem còire cæperamus.

Et licet ego facilè concesserim alios sibi ex hac corona, placati conciliatiq; exercitûs, flosculos laudis decerpturos, vindicaturosq; (neq; enim res tanta vnius operâ perfici potuisset) illa tamen pulcherrimâ Legationis ad SERENISSIMVM ELECTOREM BRANDEBVRGICVM susceptâ, feliciterq; perfectâ Prouincia, ita Tua est, vt eius socium habeas neminem, totaq; quanta, quanta est, Tibi debeatur. Ad cæteras maximas Reipublicæ calamitates, accesserat hæc etiam non minima, quòd Elector Serenissimus vi fatorum, & publicis abreptus infortunijs, nec ipse contra torrentem exundantium malorum niti volens, in Suetici Regis fidem concesserat, eiusq; clientelæ se, suasq; Prouincias omnes commiserat. Mœrebat Respublica, & vehementer angebatur, cùm ab hostibus suis premeretur, nè amicorum quidem sibi fidem superesse. Neq; aliud remedium, nisi

niſi vt aliquis grauis & maturus vir mitteretur, qui tàm latè patens ferale inter Chriſtianos odium, conciliatis Principum animis ſedaret, iamq; inclinatam Suecicam potentiam, eò validiùs etiam, diſiuncto ab eo potentiſsimo Principe, ageret in ruinam. Cùm in ea neceſsitate circumſpiceret ſuos omnes, quinam acres illas & adultas reſtingueret flammas, Tibi potiſsimùm hanc curam delegauit. Inſederat nimirùm, & impreſſa erat omnium mentibus ea certiſsima ſpes; aut neminem, aut Te potiſsimùm ſuis votis expectationibusq; ſatis facturum, cuius iam toties conſilij maturitas fuiſſet perſpecta luculenter, & probata. Et reſpondiſti Tu certè deſiderijs communibus tàm abundè, vt nihil vltra in tam perplexo negotio requireretur. Eâ enim facundiâ Sereniſsimo Electori miſerabilem belli illius Cataſtrophen expoſuiſti; tàm diſertè ipſi per diſsidia ſociarum gentium, Prouinciarum vaſtitates, populorum funeſta exilia & interneciones, Pruſsiam incolis exhauſtam, fortunas cunctorum exinanitas explicâſti, declarâſti: tàm clarè ſpectandam crudelitatem, lanienam, inhumanitatem demonſtrâſti: vt is partim domeſticis malis, partim diſertiſsimo Tuo ſermone ad meliora conſilia reuocatus, Sueticæ ſocietati repudium dicere, noſtraſq; rurſùs aquilas, noſtram fortunam exorientem adorare, non recuſârit. Res igitur præclarè cecidit, conſilia pacis firmiſsima valuerunt: ſed Tu ILLVSTRISSIME PRÆSVL, eius laudabiliter, & prudenter geſtæ, ampliſsimum à SERENISSIMO REGE teſtimonium accepiſti. Qui Tuum animum cuicunq; negotio perquàm idoneum, prudentiam ſingularem, in dirimendis litibus placandiſq; felicem dexteritatem, fidem vbiq; & integritatem, boni publici amorem eximium, ſuſpiciens ſæpiùs & obſeruans; quamuis Te antea Abbatiâ Paradiſienſi honorâſſet: minus id præmium iudicans, quàm vt eo conſummatæ virtutes Tuæ compenſari poſſent: nunc etiam Poſnanienſem Tibi Epiſcopatum, non ſine incredibili benigniſsimæ voluntatis ſuæ propenſione, & addictiſsimo virtutibus Tuis animo, contulit glorioſè. Decebat nimirùm, vt cuius minoribus in honoribus & dignitatibus exactiſsima laudabatur prudentia, maiore quaſi in theatro publicis omnium oculis & amoribus ſubiecta cerneretur. Decebat, vt cuius in pectore tàm honeſti in Patriam amoris ardebant flammæ, eidem hæc amplioris dignitatis ſuggerrerentur alimenta. Decebat vt cuius animus candidus, apertus, ſimplex, benignus, ad omnem comitatem, affabilitatem, mediocritatemq; ſemper conformatus apparuit, ab illo Rege, quo nullus æquior, nullus prudentior, nullus in ſumma fortuna maiori placabilitate temperatus extitiſſet, meritiſsimis Infulis donaretur. Atq; ad iſtum immortalem ac perennem gloriæ ſplendorem, magna laudis, & admirationis publicæ facta eſt acceſsio, quòd raro exemplo, non ſordidâ ambitione, non popularis fauoris captatione, non ementitis aliquibus titulis; ſed laboribus pro Patria plurimis, hunc laborem ſis conſecutus. Meritò igitur vniuerſus ſacer iuxta ac Equeſter Ordo, ad Te quaſi ad propitium quoddam ſidus effunditur. Meritò circa Te quaſi Principem ſuum apes, læta geſtientis populi examina glomerantur. Meritò Te non aliter aſpiciunt cuncti, quàm

ſi nouum quempiam intuerentur Solem, ex nubibus obſcuris prodeuntem, aureoq; ſuorum radiorum fulgore, denſam tenebrarum caliginem colluſtrantem. Meritò Te aſcendentem in illud primarium Cathedræ Tuæ templum, non tam pictis arcubus, aut portis triumphalibus, quàm potiùs fauſtiſsimis ominibus, acclamationibuſq; lætiſsimis proſequuntur.

Quòd ſi quis inanimatis ſenſus eſt relictus, ſi non omni ea dulcedine natura ſpoliauit: crediderim ego vniuerſam, qua latè patet Poſnanienſem DIOECESIM mirificè, (poſtquam Te ampliſsimâ hac dignitate circumfulgentem, primariâq; in Cathedra conſidentem eſt complexa) exhilaratam, ſic etiam tenerrimo affectu ſalutare. Dolui vehementer PRÆSVL OPTIME, cùm mihi integerrimum Antiſtitem, cuius nunc veſtigia premis, inuida & maligna fata rapuerunt. Obuerſabantur mihi tunc triſtiſsimæ cogitationes, & grauibus pectus meum perfodiebant doloribus; nihil mihi reſtare; niſi vt poſt decumanas calamitates, quibus me iniuriæ temporum afflixerant miſerrimam vitam exſpirarem: quando Faſciam mihi, cuius ſuauiſsimo vinculo caput meum ægrum ſtringebatur, cuius mundiſsimo linteo perennes meæ lachrimæ tergebantur, mortis ſæuiſsimæ atrocitas implacabilis lacerauit. Sed nunc magnum mihi gaudium, magna exultatio eſt, quòd Te in miſerijs meis tot votis expetitum nacta ſũ Paſtorem. Ea enim me ſuſtentat ſpes à deſideratiſsimo, Soleæ Cruciſq; Tuæ lumine, doloris mei noctem diſpellendam, à firmiſsimo robore pericula diſcriminaq; omnia proterenda. Dediſti mihi quaſi perpetuum obſidem Tuæ in me voluntatis, præclariſsimas illas Tuas dotes, & quam præcipuè admiror benignitatem, quâ Te ad infimorum etiam fauorem colligendum, demittere non recuſas. Erexiſti mihi quaſi ſignum aliquod, ad bene rebus meis augurandum, quando prudentiam pietatemq; præmiſiſti, quarum veluti Balſami gratiſsimus odor, adhuc mihi dulce halat. Effeciſti deniq; vt mihi de Te omnia ſumma pollicear, cùm Te tot virtutum decoribus ſtipari video, vt earum contemplatione mens perculſa fatigetur. Si etenim (vt Romanus loquitur Sapiens) ſemel traditi boni perpetua poſſeſsio eſt: ſi fideliter ſedent, quæ in locum ſuum veniunt: ſi facilis boni moris tutela eſt: certè nec ego metuere debeo, ne cæleſtis & eximia iſta dignitas extinguat in Te ſtudium innatæ Tibi probitatis; quin ſperare poſſum, eam ampliora in Te ſupremi honoris tenente culmẽ incrementa ſumpturam. Eſt enim in vobis ô magnæ mentes arcanum quiddam, quod natura vobis cum principe illo ſiderum, & perennis luminis fonte Sole, commune eſſe voluit. Sicut enim is non alio tempore copioſiùs ſuos diffundit radios, quàm quoties in altiſsimũ Cæli faſtigium eleuatur: ita vos non alio tempore liberaliùs miſsilia beneficentiæ veſtræ, plenis manibus, in omne hominum genus diſpergitis; quàm quoties à minori cæterorum ſorte ſeparati, altiùs eminetis, & ſublimes honorum apices feliciter occupatis. Age tantùm PRÆSVL OPTIME, & me vultu illo Tuo, quo mæſta multorum corda ſerenare ſoles, intuere. En tibi crudæ adhuc cicatrices meæ, hianteſq; patent plagæ, & benignitatis Tuæ ſalutari medela volunt curari. Erige proſtratam, mede-

dere

dere languenti. Occurrēt alibi palantes destitutæ plebis meæ greges, Pastoremq; desiderabunt : Pastor eris. Supplicabunt tot miseræ pupillorum orborumq; turbæ, Patremq; quærent : Pater eris. Venient potentiorum iniurijs exagitati ciues, defendiq; volent: defensor eris. Tentabit scrutabiturq; ouile Tuum Hæresis iuratus æternusq; gregis Christi hostis, excubādùm erit: vigilabis. Deniq; ne omnia recenseam, sic Te in hoc theatro spectandum exhibebis, vt sis (prout Petrus Blesænsis loquitur) vitæ speculum, sanctitatis exemplum, oculus cæco, pes claudo, deliciæ plebis, columna Cleri, Deus Pharaonis, Minister Altissimi. Porrò de euentu spes est, qualem adferre Deus & virtus potest. His enim ducibus, ita hæc omnia profligabis, vt celeberimum Cælo terrâq; plausum mereare. Hæc ad Te Tua illa DIOECESIS POSNANIENSIS loquitur, quæ nobis etiam dum audimus, pariunt stuporem, eliciunt lachrimas, excitant lætitiam, eripiunt vocem, superant fidem.

At Nostræ etiam ALMÆ VNIVERSITATIS in publica Ordinum omnium hilaritate, quem sensum esse putas? Gaudet mehercule & lætatur, & intimis lætitijs hilarescit, Te olim Alumnum, nunc etiam Patronum suum, tantis efflorescere honoribus videns, quibus altiores non possunt cogitari. Et fruere, inquit, amplissimo isto honore, quem Tibi nobiles in Republica actiones pepererunt, fruere optatissimo virtutis & meritorum fructu, cresce etiam pro susceptis in Ecclesia Dei laboribus in hac dignitate, maioribus honorum insignibus coronandus: interea tamen mei, Altricis olim Tuæ, nunc etiam Laudatricis & Obseruatricis esto memor. Tu quidem nemini non beneficus, nemini non affabilis blandusq; es, & Antonino illi Pio, aut Theodosio comitate simillimus? sed præcipua Tibi tamen suscipienda cura meæ incolumitatis conseruandæ; ne tot annorum senio venerabilis eruditionis Polonæ Parens, prisciq; Lechici candoris nidulus illi baratus, Tuo, cùm me tot frementis inuidiæ circumsiliunt fluctus, eximio patrocinio videar destituta. Quidquid verò literarum mearum officiosa & Tibi semper deuincta hoc illustri beneficentiæ exemplo poterit recordatio, hoc omne ad prædicandam amplissimam hanc singularem protectionem à meis promptissimè cultoribus conferetur. Ita etiam Nostra Tibi Academia, auspicatissimâ ista luce, submissè admodùm & gratulatur, & precatur. At nos feruidis multisq; precibus Diuorum aures fatigabimus, vt sera sit, & Posteris tandem nostris nota illa dies, quæ Te ILLVSTRE PATRIÆ DEPOSITVM Cælo donet: vt cùm plenus immortalium ob præclarissima in omnes merita honorum satis gloriæ, satis Ecclesiæ, satis Patriæ, satis etiam literis nostris vixeris; tùm demùm in splendidissimum illud æternitatis Domicilium receptus æuo sempiterno perfruaris. DIXI.